



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Concilia Galliæ Narbonensis

Baluze, Etienne

Parisiis, 1668

XXXVI. Bulla Clementis IV. adversùs monachos quosdam Parisienses, qui interdictum Episcopi Parisiensis non observaverant. Ex Chartulario Episcopi Parisiensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14646

XXXVI.

Bulla Clementis IV. adversus monachos quosdam Parisienses, qui interdictum Episcopi Parisiensis non observaverant.

Ex Chartulario Episcopi Parisiensis.

CLEMENS Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Decano, Thesaurario, & Officiali Meldensi, salutem & apostolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noster Parisiensis Episcopus petitione monstravit quod cum ipse nuper pro quibusdam injuriis sibi & Ecclesie Parisiensi a Præposito & Custode civitatis Parisiensis illatis civitatem ipsam supposuisset exigente justitia ecclesiastico interdicto, Abbas & Conventus monasterij sanctæ Genovefæ Parisiensis, ordinis sancti Augustini, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, sancti Martini de Campis, sancti Dionysij de carcere, ac sancti Juliani pauperis monasteriorum Priores & monachi Cluniacensis ordinis, necnon Magister & frater Hospitalis Hierosolymitanensis Parisiensis, interdictum hujusmodi temerè contemnentes, eo durante apertis januis, pulsatis campanis, alta voce divina officia damnabiliter celebrarunt, recipiendo interdictos præfatæ civitatis ad ecclesiastica sacramenta, ipsorumque corpora defunctorum faciendo in cimiteriis ipsarum Ecclesiarum sepeliri, quantumcumque super hoc privilegium seu indulgentiam sedis apostolicæ non duxerint ostendenda. Quare nominatus Episcopus nobis humiliter supplicavit ut memoratos Abbatem & Conventum, Priores & monachos,

Magistrum & fratres, propter hoc puniri pœna canonica faceremus. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit auctoritate apostolica decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Viterbij Idibus Junij, pontificatus nostri anno secundo.

XXXVII.

Littera super subjectione & obedientia Prioris & fratrum de Monte Carmeli, & super emenda de interdicto Episcopi ab ipsis non servato.

Ex Chartulario Episcopi Parisiensis.

VNIUERSIS præsentibus litteras inspecturis, frater Philippus Prior fratrum ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli Parisius commorantium, salutem & gaudium in Domino sempiternum. Cùm Reverendus Pater noster in Christo Reginaldus Dei gratia Parisiensis Episcopus, cui sumus in spiritualibus & temporalibus subiecti & esse promittimus in futurum salva ordinis nostri disciplina, propter quædam gravamina notoria & manifestas offensas sibi & Ecclesiæ suæ in personis, secundùm quòd asserit, à Rege & à Seruientibus suis, sententiam